



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Liber V. De Infinito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)



LIBER V.

DE INFINITO.



Git Aristoteles de infinito in tertio Phisicorum, & in quinto, nonnulla iterum repetit de motu, verum, quia ordinatius judicavi materias ad se pertinentes, & ejusdem rationis colligere, & in unum combinare tractatum, ideo omnia, quæ de motu dici debebant, explicui supra, reservando Infiniti explanationem usque in hunc librum, ut post vacuum in infinitum ingrediar, non quidem illud evacuando, quoniam nec ante me fuit, nec post me erit, qui illud sit evacuaturus, sed ut illud pro modulo meo perstringam, dicamque ea, quæ vel dici solent, vel dici possunt, & totam difficultatem una comprehendam disputatione, non, quod plures fieri non possent, sed quia nullus disputationum finis fieret, quò plus enim dicitur, plus dicendum restat, & quò plus scribitur, & clamatur, eò minus capitur. Sit igitur

DISPUTATIO.

DE INFINITO.

QUÆSTIO I.

Quid, & quoruplex sit Infinitum?

I.
*Multiplex
accipitur in
finitum.*

Agendum est hic de infinito in propria & Phisica acceptione, non verò de impropria & metaphorica, secundum quam infinitum dicitur omne illud, quod est vel immensum, vel æternum, vel multum, & innumerabile, quo sensu dicitur Ecclesiast. 1. *Stultorum infinitus est numerus*, sic quoque mundus à Patribus frequentèr vocatur infinitus, aut infinita continere, unde ait D. Augustinus in Psal. 146. *Nunquid est numerus arena? Nobis non est, Deo est, cui capilli omnes capitis nostri numerati sunt, & arena numerata est; Quidquid ergò infinitum iste mundus complectitur, etiamsi non homini, tamen est Deo, parùm dico, Deo, Angelis numeratum est.* Imò habentes magnos thesauros improprie dicuntur habere infinitas divitias. Infinitum ergò proprie acceptum, si etymon nominis spectetur, idem sonat, quod non finitum, seu, quod *finem non habet*, sicut inaccessum dicitur, quod non habet accessum &c. In hac acceptione Infinitum definivit Aristoteles 3. Phis. c. 62. & 63. *Quòd sit id, cujus semper est aliquid extra accipere.* Cujus sensus, ut existimo, genuinus est, quòd infinitum sit tanta multitu-

*Definit illud
Arist.*

do partium, vel perfectionum, ut, quamvis ex illis alia, & alia semper auferantur, adhuc tamen semper restabunt alia & alia accipienda, ita, ut nullo unquam tempore finito possint omnes accipi & exhauriri, incipiendo ab una, quæ vocaretur prima, & desinendo ad aliam, quæ diceretur ultima.

HOC infinitum duplex est, *syntheticum* & *Cathegorematicum*; Qui terminus summulisti suam ducunt originem, nam ut ibi visum est, terminus Cathegorematicus est, qui absolute est significativus, ut possit esse subiectum, vel prædicatum propositionis. Syntheticus est, qui nequit per se esse sic in propositione, neque per se & sine addito est significativus, sic *Infinitum Cathegorematicum* absolute est infinitum sine ullo addito, aut sine ulla restrictione, *syntheticum* verò non sic; Unde hoc describitur: *Quòd sit illud, quòd actu habet partes finitas, in potentia tamen infinitas* (ut proinde dicatur etiam infinitum potentia) ita videlicet, ut semper plures, & plures addi possint, & nunquam tot, quin adhuc plures, & tale infinitum sunt homines defacto existentes, qui quidem in se finiti sunt, ita tamen cras augeri possunt, ut sint duplò plures, perinde iterum, & sic deinceps in tantum, ut nunquam erunt additi tot, quin adhuc plures possent addi.

addi, semper tamen intra latitudinem termini finiti, quia quaecumque pars addita finita multitudinis circumscriptur, numerus autem & multitudo finita addita finito, non facit infinitum. Item dici debere infinitum secundum additionem, non vero secundum accceptionem, quia, licet unquam possint tot partes, vel numeri addi, quin semper adhuc plures usque in infinitum, non poterunt tamen tot partes & unitates semper accipi, ut semper possint accipi plures in infinitum, quod patet de hominibus omnibus, qui existunt, vel extiterunt, si enim ab illis semper acciperentur partes, & numeri, verbi gratia, myriades, chiliades, cito ille numerus exauriretur.

III. **Infinitum Cathegorematicum**, quod etiam infinitum in actu dicitur, est illud: *Quod actu suas omnes partes habet simul, & quidem in tanta multitudine, ut non possit habere plures, quod nec per ullam additionem possit accipere aliquid incrementum, vel augmentum*; partes tamen illae debent esse aequales & unicertae, quia etiam in finita magnitudine reperitur partes infinitae secundum sententiam Aristotelis, illae tamen vel sunt aequales, vel non sunt unicertae.

IV. **Hinc patet**, ut aliquid dicatur infinitum Cathegorematicum quod debeat habere plures singulares conditiones; & *Prima est: Quod mensurari non possit*. Illud enim mensurari dicitur, quod per aliquam mensuram saepius multiplicatam & adhibitam cognoscitur, quantum sit, ita, quod habeat tot partes, & non plures, si tam magnum, & non majus, quod infinito Cathegorematico nequaquam competere potest, sed neque Syncathegorematico, secundum quod plures, & plures semper possunt addi partes; Quare male dicitur nonnulli, infinitum per infinitum aliud posse mensurari, licet non possit per finitum, nam mensurari est per quantitatem notam in quantitatis ignota cognitionem venire, unum infinitum autem non est notius altero. *Secunda est: Quod infinitum nequeat numerari vel pertransiri*. Ratio est eadem quasi, quia illud pertransiri potest & numerari, ad cuius ultimum deveniri potest, sed in infinito ad nullum ultimum deveniri valet, ergo. *Tertia: Infinitum cognosci non posse*, id est, perfecte & adaequate, quia, si cognoscatur, secundum modum infinitatis, accipiendo alterum post alterum, semper aliquid cognoscendum relict, quia intellectus sic cognoscens cognosceret simul, non nisi finitum; & finitum additum finito, non facit infinitum. An autem Deus possit cognoscere infinitum, controvertitur, dicendum tamen, quod vel cognoscat distributive, vel collective, sed ad modum aliquis finiti, quia ab eo comprehenditur, quod autem comprehenditur scientis cognitione finitur, ut ait D. Augustinus 13. Civit. cap. 18. id est, cognoscendo & cognoscens finitur, non in se, alioquin Deus semetipsum comprehendendo se finiret secundum se, cum tamen infinitas sit in sua entitate. *Quarta: Quod Infinitum Cathegorematicum non possit suscipere majus & minus*. Ratio est, quia infinitum est illud, quod non est majus, ut dicit Aristoteles 1. Caelo. c. 130. quod dictum exponitur ab Anthonibus

communiter verum esse, non modo secundum existentiam, sed etiam secundum imaginationem, & ideo, quia Deus infinitum est ens, dicitur ab Anselmo, *quo majus cogitari non potest in entibus*: Deinde infinitum est illud, cui nihil deest eorum, quae habere potest, si autem posset unum suscipere majus, quam alterum, illud, quod non haberet tantum, quantum alterum, non esset infinitum, quia deesset ipsi aliquid eorum quae habere possunt. Ultima denique conditio est, quod infinitum cathegorematicum non possit augeri, vel minui: patet ex Regula superiori, si enim non potest suscipere majus vel minus, nec consequenter aliquid ei addi vel detrahi potest; tum, quia illa additio deberet fieri vel secundum partes finitas, vel infinitas, neutro modo fieri potest, ergo: probatur mi. quia si fieret aliquo, ergo jam non includisset omnia, quae in illo genere, aut specie habere potest, detractio similiter nequit fieri, aliquo ex illis modo, alias si Deus creasset infinitos homines, singulos cum aucto, posset auferre infinitos aureos, absque eo, quod singuli homines desinerent habere quilibet suum aureum, deinde si posset fieri detractio secundum numeros finitos, ponamus, quod Deus detraxerit ex infinitis hominibus duas myriades, quare, an illos iterum posset reproducere? Si sic, ergo poterat etiam ante, & sic si iterum reproducerentur, auferretur iterum infinitum remanens.

Infinitum tam Cathegorematicum, quam Syncathegorematicum iterum dividi potest, in infinitum, secundum substantiam, seu essentiam, in infinitum, secundum quantitatem, numerum & intentionem, de quibus potissimum controvertitur, quae etiam subsequentibus singula singulis quaestionibus, ne multitudo confusionem pariat, & confusio turbet intellectionem, patebunt. Sit itaque

QUAESTIO II.

Utrum possit dari infinitum in essentia?

Quaestio haec procedit tam de infinito

Syncathegorematico, quam Cathegorematico, an videlicet dabilis sit aliqua creatura, quae esset infinita perfectionis, ita quod vel in omni genere entis esset perfectissima, vel tantum in determinata aliqua specie, ut verbi gratia, in genere animalis, vel in genere plantae, &c. quomodoque autem haec infinitas consideretur

Dico I. Non posse dari creaturam, quae sit infinita perfectionis essentialis, sive in omni, sive in uno tantum genere. Haec est communis &

Probatur primo: Autoritate Divi Bernardi serm. 86. de diversis ubi ait: *In mensura est ergo omnis factus spiritus praeter Divinum, quia & ratio ejus & memoria, & caetera omnia suam habent mensuram. In numero facti sunt omnia, vel secundum partium compositionem, ut sunt corpora, vel secundum varietatem & mutabilitatem, ut sunt etiam incorporea, solum Deus est, in quem nec ponitur*

V. Iterum subdividitur.

I.

II.

Nequit dari creatura infinita perfectionis.

duc, nec mensura cadit omnino, nec numerus; sed si aliqua creatura esset dabilis, quæ esset infinitæ perfectionis, non haberet pondus, nec mensuram, nec numerum, ergo esset, sicut Deus, quod implicat; Nec valet dicere, Sanctum Patrem loqui de creaturis, quæ nunc, & defecto sunt, non verò de illis quæ per Dei potentiam absolutam producerentur, quia per hoc quod dicit, in solum Deum non cadere numerum vel mensuram, satis innuit, nullam aliam esse possibilem creaturam, in quam etiam non caderet numerus & mensura, cui enim aliud simile possibile est solum, absolute dicendum non est.

III. Probatur secundo: Quia si posset dari aliqua creatura infinitæ perfectionis etiam solum in uno genere entis, posset dari virtus infinite activa, vel infinite intellectiva, sed ex his nulla dari potest, quæ esset essentialis & infinitæ perfectionis, ergo ma. patet, quia non videtur, quod in aliquo genere potius sit aliquid dabile infinitæ perfectionis, quam in istis: probatur mi: Quia implicat, quod perfectiones quæcunq; creaturarum non excedantur infinite, in sua ratione formali, à perfectionibus Divinis soli Deo particularibus, sed potentia infinite activa, & infinite intellectiva sunt perfectiones soli Deo particulares; ergo.

IV. Probatur tertio: Ex infinitate cuiuscunq; perfectionis absolute in Divinis oritur, quod debeat identificari omnibus aliis perfectionibus essentialibus, ergo, si daretur aliqua creatura infinitæ perfectionis essentialis, ratione huius deberet sibi identificare omnes alias, & sic non modò in determinato aliquo genere, sed in omni esset infinitæ perfectionis, ac Ipse Deus, quod est implicatorium. Confirmatur, quia, sicut perfectio una infinita posset tribui creaturæ, ita etiam quæcunq; alia, & sic creaturæ posset concedi, Esse à se, quod contra rationem est creaturæ.

V. Dices: Unio hypostatica est infinitæ virtutis, imò omnis Christi actio est infiniti meriti & valoris, ergo etiam dabilis est alia creaturæ infinitæ perfectionis. R. dist. ant. est infinitæ perfectionis, & infiniti valoris, & Physicè, nego, moralitèr, concedo ant. & nego consequentiam. Itaque, ut docent Theologi, Unio hypostatica non est infinita simpliciter, sed propter moralem existimationem est aliqua summa dignitas & excellentia in persona Christi, cuius actiones infiniti meriti sunt, non in se, sed propter liberalem Dei acceptationem; Sic peccatum dicitur quoque infinitæ malitiæ, non secundum entitatem, cum nullam positivam habeat, sed propter respectum ad Deum contra cuius legem factum est.

Instabis: Si Deus Christum ab æterno produxisset, sicut poterat, Christus habuisset aliquam perfectionem infinitam Physicam, ergo saltem tunc unio illa sacratissima fuisset infinitæ perfectionis. R. negando ant. quia, licet Christus ab æterno productus fuisset, non habuisset majorem perfectionem intrinsecam, quia nihil in specifica aliqua perfectione ac-

creferet quod in se, veluti infinitum eminentèr contineret.

Dico 2. Neg. Infinitum Syncategorematicum dari potest in creaturis, & naturis specificis rerum. Ita Ruvius, Aureolus, Henricus, Vulpes, Arriaga, &c.

Probatur primò Authoritate Divi Augusti: 12. Confels. cap. 7. ubi ait: *Duo faciunt Domine, alterum prope te, alterum prope nihil*, id est, ut exponit eum Doctor subtilis, Angelum, & materiam Primam, ergo non potest dari infinitum Syncategorematicum in creaturis, quia alioquin posset dari aliqua creatura, quæ esset magis propè, quam Angelus, Quem textum prouinde frustra explicant Adversarii de speciebus defecto creatis & creabilibus, quia quæcunq; perfectior species dabilis in infinitum esset Angelica, quæcunq; tamen creata fuerit, non excedet rationem naturæ angelicæ genericam, & communem.

Probatur secundo: Quidquid continetur sub aliquo genere, non potest esse infinitum, sed omnes species rerum creabilium continentur sub genere, ergo in illis poterit dari infinitum: minor est certa: probatur ergo major: Quidquid continetur sub aliquo finito non potest esse infinitum, sed genus est finitum, ergo quidquid continetur sub genere, non est finitum, probatur ma. quia ob hanc rationem Divus Augustinus & Melleus Bernardus, caterique Patres negant, Deum posse poni in aliquo prædicamento ex eo, quod Deus utpotè infinitus non possit contineri sub genere, quod est finitum: minor etiam patet, tum, quia si genus infinitum esset, utique posset etiam Deum sub se comprehendere; tum, quia illud est finitum, quod habet rationem partis, sed genus habet rationem partis, ergo genus est quid finitum; major est certa ex dictis supra, nam infinito nequeunt convenire denominationes partis, majoris, minoris &c. probatur minor, quia animal est pars hominis, pars leonis &c. Confirmatur ex Barone: Quia, si genus esset aliquod infinitum maxime substantia, quod est in prædicamentis principalissimum, sed hoc non est infinitum, ergo: probatur mi: si esset infinitum, deberet etiam descendere ad sua inferiora, ut infinitum, sed nequit sic descendere ad sua inferiora, ergo: probatur mi: quia alioquin omnes substantiæ sub eo contentæ essent infinitæ, quod est plane paradoxum.

Dices: Deus continetur sub ente, ergo aliquid infinitum potest adhuc sub alio contineri. Sed R. dist. ant. continetur sub ente, veluti aliqua pars entis, nego ant. veluti totum omnem alteram partem in se completens, concedo ant. & nego consequentiam. Itaque Deus non est sub ente, veluti aliqua pars, sed ut totum, quæcunq; autem creata continentur sub ente, continentur ut partes, ita, quod una non possit habere in se alterius perfectionem ullo modo, nec efficere, quod alterum potest, sicut Deus omnia continet eminentèr, ut clarè etiam docet S. Bernardus lib. 5. de Consideratione cap. 7. demon-

trans, non obstante summa simplicitate, omnia adhuc in eo contineri.

Probatur Conclusio tertio:

Non possunt dari infinitæ species sub uno genere, ergo nec etiam species infinitæ perfectionis, consequentia bona est: probatur ant. Non potest dari infinitus numerus, ergo nec infinitæ species sub eodem genere, quælibet etenim ad minus numero differre deberet.

Probatur quarto:

Sunt aliquæ creaturæ ita in summo, ut majorem summitatem habere non possint, sed illæ sunt finitæ, ergo nullæ sunt dables infinitæ perfectionis: major patet ex Maternitate Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ nulla perfectior esse potest, utpotè cum sit Mater Dei, ergo; similiter Unione hypostaticâ nihil perfectius est dabile, & tamen illa non est infinita, ergo. Sed

Opponitur Autoritas D. Augustini

lib. 12. de Civit. cap. 18. ubi docet: *Quamlibet unitatem variare speciem numeri, sed quocumque numero potest dari perfectior, ergo etiam quacumque specie poterit dari perfectior in infinitum.* R. explicando Sanctum Augustinum, eum videlicet aliud non velle, nisi quod in numeris fiat variatio per additionem materialitèr, non verò formalitèr, id est, quod quotiescunque plures res, secundum suam entitatem, adduntur, quæ non sunt diversæ perfectionis, species verò sunt inæqualis perfectionis, earumque additio non est materialis, sed formalis.

Arguitur etiam Ratione:

Illud simpliciter fieri potest, quod non involuit implicantiã, nec ex parte Dei, nec ex parte creature, ergo datâ quacumque semper perfectior dari potest. Sed Respondeo facillimè, negando minorem, quia implicantiã est ex parte creature, quam implicat habere infinitam perfectionem essentialẽ, quæ tamen illi concedenda foret, si assignatâ quacumque specie non possit dari aliqua perfectior.

Instatur:

Infinita perfectio Divina est infinitè participabilis, & imitabilis, ergo non est implicantiã, quod creatura eam in infinitum imitetur. Sed R. dist. syncathogorematicè & quoad numerum, concedo ant. quoad speciem, nego ant. & consequentiam.

QUÆSTIO III.

An possit dari infinitum in intensione?

Sicut prior,

ita hæc quoque examinat quæstio titulum, tam de infinito cathogorematico quam syncathogorematico; In qua materia Doctor subtilis satis problematicus fuit, ideoque Scotistæ duplici incedunt viâ, aliqui enim Infinitum syncathogorematicum in intensione qualitatũ concedunt possibile, alii eontrâ negant, sicut etiam omnes negant, dari posse cathogorematicum; Ve-

Amandi Hermann Physica.

rum tamen, quia Scotus magis inclinavit in sententiam negantem, quamquæ magis piam, & in Christum Dominum devotam existimavit, nam dum hanc materiam resolvere deberet, & ex gratia Christi quæ defectò collata est ei, si enim ista summa est, quæ dabilis fuit, sequitur necessariò, gratiam non posse in infinitum intendi, imò nec aliam perfectiorem dari, ait enim 3. d. 13. q. 4. *In commendando Christum malo excedere, quam defecere in laude ipsius, si propter ignorantiam (incertitudinem, dubitationem) in aliteritum incidere necesse est, idè etiam ad hanc me determinandum duxi, quoniam deprehendi pariter eam esse ad sanctos nostros Doctores, eorumque doctrinam magis conformem, quare*

DICO I. *Nequit dari infinitum cathogorematicum vel syncathogorematicum in intensione qualitatum, id est, nequit esse qualitas in infinitum intensa. Hæc est plurimorum Scotistarum contra Maftrium & Bellum &c.*

II.

Nequit dari infinitum in intensione.

Probatur secunda pars,

eã enim demonstratâ sequitur prima à fortiori, & quidem primò Autoritate Divi Augustini cap. 121. Enchiridii, ubi ait: *Cupiditatem minus charitate crescentem, donec veniat ad tantam magnitudinem, quæ major esse non possit, ergo datur determinatus gradus in qualitate, sic pariter Mellissus Doctor Bernardus, gratiam in Christo excellentissimam deprædicat, quam tamen non dicit infinitam, sed summam & maximam definit; Audi verba ipsius: sermone quarto super Missus est, ad quid enim ita simpliciter Sanctum, & absq; additamento? (expli- cat illa verba Angelica, Ideoq; nascetur ex te Sanctum) Credo quia non habuit, quid proprie, dignè nominaret illud eximium, illud magnificentum, illud reverendum, quod de purissima, videlicet Virginis carne, cum sua anima, Unico Patri erat unendum; si diceret sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, quidquid tale poneretur parum sibi dixisse videretur, posuit ergo indefinitè Sanctum, quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit, Sanctum proculdubio & singularitèr sanctum fuit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem. Ergo ex mente D. Bernardi Spiritus sanctificatio fuit indefinitè eximia, magnificentica, & singularis, ideoque maxima, & consequentèr dabilis major non est, nec aliqua in infinitum intensa, quia gratia Christi talis non fuit, quæ tamen summa fuit.*

Probatur Conclusio secundo:

Si posset dari qualitas infinitè intensa etiam syncathogorematicè, posset dari motus alterationis infinitus, sed talis nequit dari, ergo nec qualitas infinitè intensa: probatur mit. Non potest natura incipere moveri ad id, quod non potest attingere, sed hunc terminum requireret attingere, ergo; quod Confirmatur, quia omnis motus debet habere aliquem terminum, qualem hîc non haberet, maximè in sententia Adversariorum, qui dicunt, motum non esse aliud, quam formam fluentem, forma autè hæc fluentem nullum haberet terminum, ergo nec motus.

T t

Proba-

IV.

Probatur tertio: Nulla perfectio intrinseca potest in infinitum intendi, sed intensio est qualitatis perfectio intrinseca, ergo qualitas non poterit in infinitum intendi; probatur major, nulla perfectio intrinseca potest esse major eo, cujus est perfectio intrinseca, ut patet discurrenti per omnes & singulas perfectiones & rerum proprietates, ergo: minor etiam patet, quia intensio qualitatis est modus ipsius qualitatis, ergo. Sed ex potissima ratione

V.

Probatur quarto: Omne subiectum qualitatis est ens finitum, secundum suam essentiam & naturam, ergo etiam erit finitum, secundum suam capacitatem, quæ est propria passio subiecti, adeoque nullo modo majoris perfectionis, quam subiectum; Ex quo ulterius sic argumentor: Omne subiectum recipit qualitatem, secundum capacitatem, quam habet, sed capacitas cujuscunque subiecti, ad recipiendas qualitates, est finita, ergo etiam solum recipiet eam finitè, & consequenter non poterit recipere infinitè intensam, alioquin reciperet ultra suam capacitatem.

VI.

Dices: Subiectum quidem non posse recipere qualitatem infinitè intensam, secundum capacitatem naturalem, benè tamen secundum supernaturalem, quæ dicitur potentia obedientialis. Sed Contrà primò: Quælibet qualitas ex natura sua intrinseca petit determinatam intensiorem, ergo neque per potentiam Dei supernaturalem poterit habere infinitam, quia Deus nequit immutare, & variare rerum naturas & essentias. Contrà secundò: Subiectum nullum per potentiam obedientialem potest fieri infinitè perfectum cathegorematicè, sed si posset recipere intensiorem qualitatis infinitum, esset actu infinitè perfectum, ergo; probatur mi: quia habet in se actu capacitatem ad recipiendam infinitam intensiorem, ergo erit capacitas infinita actualis, cum habeat illam à principio actuali. Contrà tertio: Si subiectum fieret infinitè capax ad recipiendam quamcunque intensiorem qualitatis in infinitum, posset etiam recipere infinitas qualitates ejusdem generis, imò diversorum, sed hoc videtur implicatorium, quia alioquin posset habere simul nigredines omnes, albedines, calores, frigora, &c. &c. probatur ma. quia quod est infinitè capax ad receptionem formæ intensæ in infinitum, est æquè capax respectu cujuscunque pulat sibi omnia, quod clarè patet in Divinis, ubi infinita sapientia identificat sibi infinitam justitiam, misericordiam, &c. &c.

VII.

Dices 2. Potentiam receptivam, & passivam capacitatem nullam dicere perfectionem, adeoque non implicare, quò minus possit recipere infinitam intensiorem, quia ex hinc ipsa non augebitur in infinitum. Sed reverà negandum est primum antecedens, si enim nullam omnino diceret perfectionem, non video, quare quodlibet non possit recipere quodlibet, & sic cur non posset quantitas in se recipere formas substantiales, & materia una

omnes formas simul, etiam possibiles, quia per hoc, quod omnes in se reciperet, nullo modo augetur ejus perfectio & capacitas.

Et licet dixerim primam conclusionis de se sequi ex secunda; Attamen probò etiam hic particularitè? Si posset dari aliqua qualitas infinitè intensa, maximè gratia sanctificans, sed hæc nequit esse infinita, ergo: patet ma: quia materiales videntur magis implicare, quàm spirituales, & inter spirituales, minimè videtur implicare gratia sanctificans: probatur mi: Infinita gratia pete sibi correspondentem infinitam gloriam, sed infinita gloria nequit haberi, ergo neque infinita gratia; probatur, infinita gloria deberet esse infinita visio, infinita visio in creatura nequit esse, quia comprehenderet Deum, qui est incomprehensibilis, ergo. Nec valet recurrere ad communem evasionem, Deum non comprehendi posse, quia visio non adæquaret eum in essendo, qui est infinitus infinitus: Non valet, inquam, tum, quia hæc proportio non requiritur, alioquin nec substantiam intelligere possemus, quia intellectio in essendo non est ipsi proportionata; tum, quia, sicut dicit Augustinus Epist. 112. *Tunc res comprehenditur, quando nihil ejus videntem latet:* tum denique, quia quodlibet infinitum non est semel infinitum, sed etiam infinitus infinitum, nam, ut Adversarii fatentur, ex infinito non solum infinitæ unitates, sed etiam binitates, trinitates & quaternitates accipi possunt; Nec Deus est infinitus infinitus, quasi verò in eo essent infinitus infiniti gradus perfectionis distincti, cum sit ens simplicissimum, sed quia æquivaleret infinitis infinitis gradibus, sed visio etiam sic æquivaleret, ergo.

Probatur secundò eadem pars:

Si posset dari infinita aliqua qualitas, forte etiam gravitas, hæc dari nequit, ergo nulla: probatur minor, quia infinita gravitas infinitum causare deberet motum localem, sed nequit infinitus motus localis dari, ergo: patet major, quia sicut gravitas causat motum localem deorsum, ita major majorem & infinita infinitum: probatur minor: quia si poneretur infinita gravitas in concavo lune, deberet in unico instanti descendere, quod nequit fieri. Ad hoc argumentum multi multa respondent insufficientia tamen, hinc pariter omitto, sicut etiam alias objectiones, quæ solventur potius ex parte in sequentibus duabus questionibus. Interim

Dico 2. Si qualitatis intensio fieret extra subiectum, probabile est, dari posse infinitos gradus syncathegorematicè. Hæc non poterit meo videri negari, quam proinde sic Probo: Potest dari infinitum syncathegorematicum in multitudine, ergo etiam in intensione qualitatum; probatur consequentia quia infiniti gradus qualitatis non sunt, nisi infinitæ unitates, sed tales possunt dari, ergo etiam infiniti gradus in qualitativibus. Et forte per hanc conclusionem reconciliantur Scotus & Scotistæ ab eo desectentes.

QUI

QUÆSTIO IV.

An possit dari infinitum in multitudine?

Sermo in hac, & sequenti quæstione

non erit de infinito syncategorematico, communiter etenim tenetur, infinitum tale in multitudine & magnitudine extensiva dari, id enim clarè non abnuat D. Aurelius supra citatus quæstione secundâ, ubi non modò docet, quemlibet numerum variare speciem, sed & numeros infinitos esse, & hoc patet, nam in omnibus individuis datur talis processus, ut nunquam tot dentur, quin plura dari possint, similiter erit in cogitationibus, in quibus non poterit assignari numerus & multitudo, quin adhuc major esse possit, unde qui in superioribus etiam in hoc disenserunt, in numero consentiant, quare de infinito categorématico resolvo rem, &

Dico: Repugnat etiam Divinitus dari infinitum in multitudine. Hæc communior est, & eam etiam insinuavit Doctor subtilis 2. d. 1. q. 3. & in 3. d. 13. q. 2. à quo plures Scotti recesserunt, magis ostentationis gratiâ, quam veritatis amore. Sed

Probatur Conclusio Ratio- nibus tam novis, quam veteribus, & primò quidem ex natura ipsiusmet infiniti: Si posset dari numerus infinitus aliquorum individuum, sequeretur, eum sibi debere identificare seu venire omnem infinitatem in numeris, sed hoc non potest fieri, ergò nequit dari infinitum in numero: ma: patet ex supra dictis, nam etiam ipsi Adversarii concedere debent, ideò infinitatem Sapientiæ Divinæ identificare sibi iustitiam, misericordiam, &c. probatur mi: quia si esset possibilis numerus infinitus hominum, deberet etiam statim esse infinitus numerus aureorum, infinitus numerus librorum, infinitus numerus gladiorum, quod tamen secundùm ipsos non necessarium est, nam licet Deus (dato casu) crearet infinitos homines, non tamen propterea deberent esse infiniti gladii, vel libri; Imò urgeo argumentum hoc, in eodem infinito; si esset possibilis infinitus numerus hominum, hoc infinitum deberet sibi identificare omnem numerum hominum, seu habere unitam omnem hominem existibilem, sed hoc infinitus numerus hominum non exigit, ergò: probatur mi: quia posset Deus creare infinitos homines, quibus posset addere postea centum, ergò non habuisset infinitus numerus omnem hominem possibilem sibi unitum; probatur autem ant. quia posset Deus destruere centum homines absque eo, quòd destrueret infinitum, ergò etiam creasse infinitos homines absque eo, quòd creasset illos centum.

Dices: In Deo est Sapientia infinita, & tamen non identificat sibi omnem sapientiam, ergò etiam, licet esset infinitus numerus, non deberet necessariò habere unitum omnem numerum possibilem: probatur ant: quia etiam

F. Amandi Hermann Physica.

est aliqua Sapientia creata, ergò. Sed Contrà: Magna est disparitas, quia Sapientia creata, est diversæ rationis diversique generis à Sapientia increata, quia hæc illam ex ratione infinitatis perfectiori modo continet, quam si contineret eam formalitèr, quod planè repugnat, cum creata sit accidens, Divina autem sit substantia, eaque talis, quæ nullius accidentis capax est.

Probatur Conclusio secundò:

Ille infinitus numerus deberet componi ex unitatibus, verbi gratiâ, ex infinitis hominibus, quorum quilibet unus tantum esset, & non plures, sed ex unitatibus componi non potest, ergò non potest dari infinitus numerus, probatur minor: quia, unitas addita unitati non facit infinitum, ut ipsi fatentur, alioquin etiam dici posset, quòd si Deus Angelis omnibus adderet in quolibet instanti Angelum alterum, quòd ille numerus excreset in infinitum, & sic una sola unitas faceret infinitum numerum, nempe ille Angelus qui produceretur post maximum numerum finitum Angelorum. Confirmatur, nequit dari maximus numerus, patet ant. probatur consequentia, quia tunc unitas constitueret infinitum.

IV.

Dices: Unitates facere infinitum, si in-

finites sumantur non verò si accipiantur finities. Sed Contrà; si unitates infinites multiplicatæ facerent infinitum unum numerum, ille infinitus numerus deberet in qualibet unitate subjectari, & sic quælibet unitas esset infinitum quid. Deinde quando in numeris finitis aliquid multiplicatur ad certum numerum, ille numerus non est in singulis, sed tantum in aliquo uno, ergò etiam si unitates infinites multiplicentur, infinitus numerus non subjectabitur in singulis: probatur ant: si fiat aliquid multiplicatum decies, verbi gratiâ, decem aurei, illud decies non est in quolibet aureo, sed in illo ultimo, qui facit aureos esse multiplicatos decies, ergò etiam si infinites multiplicentur unitates, ly infinites non erit in singulis, sed in aliquo uno, si in uno, ergò unitas faciet infinitum. Deniquè, si etiam dicas, ly infinites afficere singulas unitates, non quidem disjunctivè sumptas, sed collectivè, nihil efficit, nec effugis difficultatem, quod sic probò; Si infinitus numerus afficeret omnes unitates collectivè sumptas, sequeretur, quòd quandoquæ aliqua unitas auferretur, mutaretur infinitum & destrueretur, sed hoc est contra rationem infiniti, ergò; probatur sequela. Quando dicitur: Evangelistæ sunt quatuor, Apostoli omnes duodecim, &c. destructo & ablato quocunquè ex illis, non est amplius verum dicere, Evangelistas esse quatuor, Apostolos esse duodecim, ergò etiam ablatâ quacunquè unitate, non erit amplius verum dicere, eas esse infinitas. Nec iterum te exsolves dicendo, infinitatem quidem aliquam definire, non tamen omnem, quia sic redit meum argumentum superius factum, quòd unitas faciat aliquid infinitum, quia

V.



si ablata unâ unitate aliud est infinitum, quàm antecedenter fuit, ergò etiam si addatur iterum, tunc illa unitas faciet novum infinitum; imò valdè absurdum est dicere, quòd infinitum per unius ablationem variaret suam speciem.

VI. Probatur tertio: Si posset dari infinitum in numero, sequeretur unum infinitum esse majus altero, augeri & minui, totum non esse majus sua parte, sed hoc est contra rationem infiniti, & etiam inconvenientia, ergò probatur sequela, quia si crearet Deus infinitos homines, quemlibet cum duobus oculis, aut duobus auribus, numerus aureorum esset infinitus, essetque multò major numero hominum, ergò unum infinitum esset majus altero; possetque augeri & minui, quia primò posset Deus addere cuilibet unum aureum, & sic esset majus & infinitum infinito auctum, possetque iterum tollere omnes aureos, & sic infinitum triplici infinito esset minutum, ergò: quod si dicas, ut faciunt ordinariè, unum infinitum altero esse majus materialitèr tantum, & non formalitèr, non satisfacis, nec à difficultate liberaris, nam infinitus numerus aureorum est formalitèr infinitus tam benè ac infinitus numerus hominum, ergò numerus infinitorum hominum & aureorum simul formalitèr erit major, quàm solus infinitus numerus hominum, nam si Deus destrueret omnes aureos, adhuc maneret formalitèr infinitus numerus hominum, ergò ille numerus erat formalitèr talis, & eò contrà si destrueret etiam infinitos homines, relictis aureis, ille numerus formalitèr esset infinitus, ergò etiam antecedenter fuit.

VII. Probatur quarto: Omnis species est multiplicabilis in plura individua, sed ipsa infinitas & infinitus numerus est species, ergò etiam illa deberet esse multiplicabilis; subsumo, sed hoc infinito numero implicat, ergò: probatur subsumptum, quia posito solo uno infinito numero, debet esse omne possibile in illo numero & genere, ergò infinito in numero implicat multiplicari, quia posito omni possibili nihil ampliùs est possibile: probatur idem subsumptum secundò: Quia infinitum unum esset individuum speciei infinitatis & non esset, ergò implicat, probatur antè: esset, ut supponitur, & non esset, ut probo, quia omne individuum debet esse unum, omne unum debet esse indivisibile eo modo, & eà ratione, quà unum est, infinitum autem non est sic indivisibile, quia illud, etiam secundum Adversarios, dividi potest, non modò in infinitas unitates, sed etiam in infinitas dualitates, quaternitates &c. Possem adferre hic aliorum plures rationes, sed sponte omitto, has enim sufficere existimo. Verùm in contrarium

VIII.
Opponitur
& explicatur
D. Bernardus.

Opponitur Autoritas D. Bernardi & Concilii Suesonensis, in quo refutati & condemnati fuere errores Petri Abailardi sine Regula Monachi (ut inquit Melleus Doctor cap. 193.) sine sollicitudine Prælati, qui nec Ordinem tenet, nec tenetur ab Ordine, inter quos unus fuit

etiam iste, Deum non posse plures species producere, quàm eas, quas defectò produxit, nec etiam animas, nisi usque ad determinatum numerum; ergò ex mente Concilii, & Sancti Bernardi habetur, Deum posse producere animas (idem est de quibuscunque aliis individuis) ultra omnem numerum, quod autem est ultra omnem numerum, est infinitum, ergò Deus poterit producere infinitum in multitudine. Confirmatur ex Concilio Constant. sess. 15, ubi hæc propositio in terminis damnata est, videlicet *Deum nihil potest annihilare; nec mundum majorare vel minorare, sed animas usque ad certum numerum creare, & non ultra*, ergò definit etiam contra conclusionem, quæ idem asserit. Sed R. Sanctum Bernardum nequaquam Abailardum expressè, quoad propositionem prædictam refutasse, sed in tract. de erroribus Abail. quæ est epist. 190. potissimum refutat errorem circa mysterium Trinitatis, eò, quòd Spiritui Sancto nullam, Filio minorem, & Patri tribueret potentiam omnem; fidem non rectè definirè, Christum non venisse ad nos redimendù, sed ad instruendum &c. & capite quarto recenset quidem alios plures, circa Spiritum Sanctum, & suggestiones Dæmonum, circa tentationem hominum, nullibi tamen fecit mentionem de illo errore, quod signum est, Sanctum Patrem peroptime animadvertisse, licet in se propositio falsa videri posset, in sano sensu veram esse non implicare, nam alibi de erroribus ejus generalitèr dicit: *Cùm loquitur de Trinitate, sapit Arium, cùm de gratia, Pelagium, cùm de persona Christi, sapit Nestorium* epist. 192. Unde Respondeo, Abailardum idèò damnatum à Concilio, argutum à Bernardo, eò, quòd docuisset Deum tantum posse creaturas procreare, quòd numerum determinatum & certum intra infinitum syncategorematicum, quòd nos in conclusione non dicimus, utpotè cùm ea adstruat, Deum nunquam posse tot producere, quin plures, quod tamen non est infinitum categorematicum.

Instatur: Deus est infinitus categorematicè, ergò potest etiam producere effectum infinitum categorematicum, quod si verò dicatur, non posse, læditur non minùs ejus omnipotentia infinita, quàm si dicatur, quòd possit tantum certum & determinatum numerum: probatur consequentia, quia infinite potentie categorematicæ debet correspondere infinitus actus categorematicus. Sed Respondeo negando consequentiam, ad cujus probationem dico, infinite potentie debet correspondere infinitus actus, si actus non dicat aliquam implicantiam, concedo, si dicat, nego, hic autem actus simpliciter implicat, nec tamen propterea dici poterit, Deus non esse infinitus, si enim deberet potentie correspondere per omnia actus, reverà deberet esse etiam actus in essentia infinitus, quod implicat, quia aliàs esset alius Deus, cùm alius Deus tamen repugnet, sic quoque Deus, ut loquitur D. Augustin. serm. 119. Temp. *Non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli, Tanta non potest, quæ si posset, omnipotens non esset, & proinde, ut ait lib. 26. faul. cap. 5. Ille plenus omni*

omnipotens verè solum dicitur, qui verè est & à quo solo est, quidquid aliquo modo est, vel spirituale vel corporale.

Urgetur: Si per impossibile essent infiniti ignes possent producere infinitas combustiones, sed omnipotentia Divina est major, quàm sit vis infinitorum ignium; ergò non implicat, quòd ipsas se solo possit producere, quia quidquid potest cum causa secunda, potest se solo facere, ergò. R. 1. Ex impossibili sequitur omne, unde nihil concluditur contra Conclusionem, aut datam responsonem, nam etiam verum est, quòd si assus esset rationalis, possit ratiocinari, quod prius falsum est, posterius etiam falsum est & implicatorium. Attamen R. 2. Majorem esse virtutem Dei adhuc, quàm virtutem infinitorum ignium, tum in entitate, tum in activitate, quia ille possit, & potest omnia producere sine concursu cause secundæ & ex nihilo, non sic autem possent agere infiniti ignes, hi enim nec ex nihilo, nec sine concursu Dei suas possent producere combustiones.

IX. Arguitur

Arguitur: Illud potest Deus facere, quod non involvit aliquam implicantiam, sed infinitum categorematicum non involvit aliquam implicantiam; ergò potest Deus facere; probatur minor, non est aliqua implicantia, quod infinitus numerus producat successivè; ergò nec quòd producat simul: probatur consequentia, quia si infiniti homines producibiles successivè & syncategorematicè producerentur simul, esset infinitum categorematicum, ergò: R. negando mi. cum consequ. probationis, ad ejus iterum probationem nego suppositum dupliciter; primò, quia falso supponitur, quòd ex infinito syncategorematico possit fieri categorematicum, nam infinitum illud constatur ex meris unitatibus & numeris finitis, nullus autem numerus finitus additus finito facit infinitum, alioquin infinitum non esset, nisi finitum, quia per illum numerum additum finiretur. Secundò suppositum negatur, quòd videlicet illa individua, quæ successivè producuntur, possent simul produci, licet enim illa successivè nullam habeant repugnantiam ad se invicem, habent tamen ad se invicem similitudinem, ut patet de pluribus aliis, ut de formis, respectu ejusdem materiae, quare autem successivè possint esse & non simul, dixi in probationibus, & fortè ulterior est ratio, ne aliquid infinitum sit quoquo modo, sicut Deus est.

Instatur: Nulla est implicantia, quòd Deus producat omnes homines simul in unico instanti, quos potuisset ab aeterno producere, sed illi ab aeterno producti, essent infiniti; ergò etiam, si simul illos produceret. R. negando ma. Ratio patet ex paulò ante dictis; unde quando dicitur, quòd Deus possit facere simul, quod potest diversis vicibus, verum est, si intelligatur, Deum posse producere simul, quod potest diversis vicibus, quidquid potest collectivè simul producere, concedo, quidquid potest distributivè & successivè, nego. Deus autem nunquam potest producere collectivè simul omnes numeros & unitates in infinitum.

Urgetur: Si Deus ageret ex necessitate naturæ, possit omnia producibilia simul producere, imò deberet, sed tunc produceret omne possibile; ergò produceret infinitum, quia tale est possibile; subsumo, sed nunc non est minus potens, quàm tunc; ergò si tunc deberet producere, nunc possit omnia etiam collectivè producere. R. concessa majore bene notata, prout in terminis est, quòd scilicet omnia producibilia simul produceret, unde respondeo & distinguo mi. tunc produceret omne possibile, simul producibile, concedo mi. omne possibile quomodocunque, nego mi. Itaque dico, quòd, sicut nunc non potest producere omne possibile, sic nec tunc, & sicut non potest producere omne possibile simul producibile, ita etiam tunc, ratio est, quia isti status non differunt penes potentiam Dei, sed penes actum. Quæ responsones bene notari possunt, ad evitandas arguentium æquivocationes.

Arguitur 2. Quidquid cognoscit Deus possibile, potest producere, sed Deus cognoscit omnes creaturas posibles; ergò omnes producere potest: probatur ma. quia non est minor ejus omnipotentia, quàm ejus scientia, sed per scientiam omnes cognoscit posibles; ergò per potentiam potest eas producere. R. dist. ma. Quidquid Deus cognoscit possibile, potest producere eo modo, quo cognoscit possibile, concedo ma. alio modo, nego ma. & dist. etiam minorem, cognoscit omnes creaturas posibles collectivè sumptas, nego mi. distributivè sumptas, concedo mi. & nego consequentiam.

X. Secundum.

Instatur: Deus nullam non cognoscit; ergò cognoscit omnes collectivè: probatur consequentia: quia Nullus non idem est, quod omniù, sed cognoscit nullam non; ergò collectivè omnem. R. negando consequentiam cujus probationem dist. Nullus non; idem est, quod omnis, in creatis finitis, concedo, in infinitis, nego. Et ratio est, quia in rebus finitis valet dialecticus argumentandi modus, nec hoc, nec illud, nec istud, nec aliud est, quod restet; ergò omnia sunt, non sic verò in infinitis, quia non possum dicere & hoc, & illud, & istud &c. & nihil præterea restat, quia quotquot accepero & qualitercunque sumpsero, semper aliquid restabit accipiendum & in infinitum.

Urgetur: Ponatur casus, quòd Deus in instanti D cognoverit creaturas omnes posibles, in instanti E nulla amplius cognoscenda restabit; ergò cognovit in instanti D, nullam non. Sed R. iterum, sicut antecederet dist. consequens: nullam non cognoscit distributivè, concedo, collectivè nego; & ratio est, quia omnes collectivè implicant, ideòque eas non cognoscit sic. Imò hoc ipsum argumentum solvere deberent ipsi Adversarii, nam possum sic arguere in instanti E nullum restat instans cognoscendum in aeternitate anteriori, quod non habuerit aliud ante se; ergò cognoscit Deus omnia instantia aeternitatis habuisse aliud instans ante se, quod tamen falsum est, quia ante omnia instantia aeternitatis collectivè sumpta non datur aliud instans ante se; ergò cognoscit tantum, omnia

omnia instantia habuisse aliud ante se distributive, eodem modo dico ego, sicut Deus nullum non instans cognoscit & tamen non cognoscit omnia collectivè, ita etiam nullam non creaturam possibilem cognoscit, & tamen non collectivè. Ut itaque hoc argumentum & plura alia benè solvere valeas, notandum, in infinito has & similes voces, *omnes, totum, quicquid possibile*, quæ collectionem significant, non habere locum, nam in infinito, nec est, nec concipi potest, vel debet tota aliqua collectio, cum sit sine fine, & quocumque cogitatio aliud cogitandum advenit, quare etiam propositiones, quibus præponuntur, cautè ducendæ.

XI.
Arguit Comptonius.

Arguit P. Comptonius. Defactò existunt infinita rerum negationes; ergò non implicat infinitum; ant. probatur: defactò non existunt infinita creaturæ possibile; ergò defactò existunt infinita creaturarum possibilem negationes, quia, si res non existunt, existunt earum negationes, ut patet discurrenti per singulas formas, earumque negationes. Sed quàmvis in hoc argumento multùm gloriatur Comptonius, facillè tamen R. negando ant. cum consequentia prob. quia infinita creaturæ possibile collectivè, est quid fictum & nihilum, & sic negatio earum non est alicujus realis, sed alicujus ficti, & consequentèr ex hac inferri non potest infinita collectio omnium creaturarum possibile simul.

QUÆSTIO V.

An possit dari infinitum in magnitudine?

Respondeo ad difficultatem hanc consequentèr progrediendo &

I.
Implicat dari infinitum in magnitudine.

Dico I. Implicat dari infinitum categorematicum in magnitudine. Hæc est Authorum supra Scoti, D. Bonav. &c. Sequiturque ex superiori, si enim implicat infinita magnitudo; ergò etiam infinita magnitudo, nam hæc involvit infinitas partes, quæ faciunt infinitam multitudinem

Probatur Conclusio rationibus communibus, nec enim extraordinarias res communis exigit, utpotè quæ à nullo intacta adhuc relicta fuit, nec in hoc scrupulizandum existimo, cum vix meliores prioribus inveniantur vel clariòres, sit itaque

Prima: Si posset dari infinitum in magnitudine, sequeretur, quòd totum esset æquale eum sua parte, sed hoc est contra prima principia, ergò: minor patet, quia lippis & tonforibus notum est, ut proinde huic veritati, quàm cuiuscunque probabili speculationi sit assentiendum, probatur ma. Sit linea infinita extensa, & ab ea Deus auferat mille cubitos, residuum lineæ, vel est infinitum, vel finitum, si finitum; ergò tota linea fecit finita, si infinitum; ergò pars est æqualis toti, quod probatur, quia hoc residuum non est, nisi pars totius lineæ, à qua mille cubiti abstracti sunt: Similiter sequeretur unum infinitum esse majus altero, quia illa linea utique major fuit, quæ habuit mille cubitos ultra alteram, quibus illa privata est.


Dices: Esse majorem vel minorem, æqualem vel inæqualem, &c. hujusmodi, non posse competere infinito, utpotè cum sint quantitatis finita proprietates. Sed Contrà 1. Omnes proprietates alicui rei specificæ competentes non conveniunt rationi individuali, ut tali, sed ipsimet speciei; ergò non modò competent magnitudini finitæ, sed etiam infinitæ, cum utraque sit magnitudo. Sed Contrà 2. Eo modo, quòd dicunt ipsi, has proprietates non convenire, nisi magnitudini finitæ, ita etiam dicam ego, possibilitatem, producibilitatem & existentiam esse solùm proprietates entis, & magnitudinis finitæ, non verò infinitæ, & sic infinita magnitudo implicabit, quia non poterit habere existentiam, quæ est modus magnitudinis finitæ.

Probatur Conclusio secundò:

Infinita magnitudo alicujus corporis deberet esse alicubi, sed hæc nullibi posset esse; ergò nec ipsa esse; patet ma. tum ex D. Augustino supra Epist. 57. *Spatia locorum tolle corporibus, nunquam erunt & quia nunquam erunt, nec erunt*; tum, quia locus & tempus æquè corpus quocumque committantur: probatur mi. nullum infinitum potest circumscribi, sed quòd est in loco circumscribitur; ergò si infinita magnitudo in loco erit, infinita non erit: patet major, quia quòd maximum est, & infinitum nullo modo à majori circumscribi, ambiri & excedi potest, alioquin non esset maximum: probatur mi. quia quòd habet aliquid extra se, exceditur, infinitum haberet aliquid extra se; ergò circumscriberetur, ambiretur & excederetur.


Probatur tertio Ex Barone: Nullum

corpus est, quod non sit mobile ab aliis, ab eis scilicet patiendo, sed, si daretur corpus infinite magnitudinis, à nullo posset aliquid pati; ergò tale non datur: ma. patet, quia illud corpus haberet naturam, haberet utiq; etiam principium motùs & quietis, per motum autem intelligitur nihil aliud, quàm quòd possit passioni subitari, ergò: probatur mi. quia ponamus, quòd in illud corpus deberet agere ignis, si ageret in ipsum, deberet agere in superficiem vel extremitatem, non posset enim statim agere in profundum, sed non posset agere in extremitatem & superficiem, quia illam non haberet, vel si haberet, jam non esset infinitum, sed finitum, ergò.



Probatur quartò: Nullum infinitum debet posse claudi terminis, sed si daretur infinitum, clauderetur terminis; ergò nequit dari infinitum in magnitudine: patet major, quia infinite

Infinitum debet esse maximum, quo majus nec cogitari debet nec potest, probatur: posset Deus creare duas lineas in puncto A ad se invicem copulatas & unitas easque in infinitum protendere, per modum pyramidis, prout adjectum exhibet schema, hoc facto, posset etiam Deus à puncto B usque ad punctum C trahere lineam; ergò tunc infinita linea clauderetur terminis; Nec dici potest, Deum non posse sic claudere lineas, quia, sicut illas duas lineas in infinitum pyramidaliter protraxit, non esset ratio, quare non posset in alteris punctis similiter lineam subtrahere, cum posset eam alioquin infinitam producere. Sed urgeo ulterius hoc argumentum: Si Deus à puncto A duas lineas copulatas protraheret in infinitum, sequeretur, quòd Deus posset facere triangulum, subtrahendo lineam à B usque C, sed hoc est etiam implicatorium, ergò: probatur sequela, posset enim, ut suppono, quia omnes tres lineæ essent infinitæ, & æqualiter extensæ; non posse verò probo, adimat Deus à linea una costali asterisco signata mille cubitos imaginando quantitatem usque ad D, linea asterisco signata erit infinita, sicut antecedenter fuit, cum finitum ab infinito ablatum non faciat illud minus, si tunc Deus traheret lineam, quæ est pro basi usque ad D, illa utique non faciet triangulum, saltem perfectum, quem tamen deberet facere, quia esset æque infinita, ac altera. Et hoc argumentum videtur mihi quoque convincere, unum infinitum esse majus altero, si enim linea una protrahatur ab A usque ad B, & altera ab A usque ad D, certè prior illa erit multò longior, quam posterior; Nec video, quid ad hoc competenter responderi possit.



Probatur Conclusio quintò:

Concesso priori casu, eoque supposito, sic: Ducatur infra cuspidem pyramidis aliqua linea, quæ sit intra unum palmum cuspidis, linea illa erit unius palmi, postea ducatur altera, quæ erit duorum palmorum, tertia trium, &c. sic in infinitum; Omnes lineæ usque ad fundamentalem in infinitum protractæ non excedent se, nisi uno palmo, tunc arguo sic; linea illa fundamentalis à B usque ad C erit infinita & non erit; Erit quidem, quia supponitur, quòd lineæ costales sint in infinitum per modum pyramidis protractæ, adeoque ipsa quoque erit infinita: Non erit autem infinita, quod sic probo; linea basis non excedet lineam suam proximam asterisco signatam, nisi uno palmo; ergò non erit

infinita, quia finitum additum finito non facit infinitum; & si dicas, illam proximam etiam futuram infinitam, nihil efficias, nam iterum urgeo; In isto triangulo non sunt omnes lineæ infinitæ, quia alioquin etiam esset prima; ergò sunt aliquæ finitæ & aliquæ infinitæ; tunc sic, linea quæcunque prima esset infinita, non excederet finitam, nisi palmo, ergò esset finita & non esset, esset, quia palmus non faciet infinitam, non esset, quia est prima ex omnibus infinita. Hanc difficultatem dicit Arriaga esse insolubilem, unde mavult assignare nullam, quam ullam insufficientem, non sic autem sentit P. Comptonius, unde pro eo

Dices: In hoc triangulo nullam esse assignabilem lineam finitam, cui proxima sit infinita excedens illam tantum uno palmo, sed quæcunque finitæ assignatæ remanere plures, ac plures finitas indeterminatè usque ad infinitum. Sed Contrà 1. In omnibus illis lineis, vel est aliqua ultima, vel non est, si est ultima, habeo intentum, quia tunc post illam sequitur immediate linea infinita, cum supponantur non esse interruptæ; si verò non est ultima, ergò sunt infinitæ lineæ excedentes se invicem uno palmo; ergò aliquæ ex lineis illis finitis sunt infinitæ, cum infinities excedant primam, quæ solum est unius palmi. Contrà 2. Certum est, omnes lineas in dato & posito triangulo non esse interruptas, & aliquas esse finitas & alias infinitas; ergò omnes lineæ infinitæ debent à parte rei collocari penes infinitas, & sic in toto triangulo nullæ erunt lineæ finitæ, vel certè debent collocari penes aliquas lineas finitas, & sic habetur, quod intenditur. Sed contra Conclus.

Arguitur: Dantur infinita spatia extra coelum empyreum, ut dictum est supra, sed Deus potest ex illis facere spatia realia; ergò potest facere infinitum in magnitudine, quia tunc nihil esset, nisi unum corpus, quod ipsa omnia replet, quod infinitum esse deberet, quia ipsa spatia sunt infinita. R. dist. mi. potest ex illis facere realia simul & semel, nego minorem, distributivè & successivè, concedo minorem, & nego consequentiam. Solutio patebit ex dictis, nec hoc tamen mirum videri debet, quia Deus etiam potest omne possibile tempus producere, non tamen simul.

Instatur: Quòd Deus nequeat tempus producere simul, provenit non ex infinitate, sed quia ipsæ partes temporis nunquam possunt esse simul, sed partes cujuscunque quantitatis possunt esse simul; ergò, licet Deus non possit producere collectivè totum tempus, poterit tamen omnem & maximam magnitudinem; sed R. dist. mi. partes quantitatis possunt esse simul finitæ & determinatæ, concedo mi. infinitæ, nego mi. Unde, licet non sit paritas inter tempus & magnitudinem, quòd ad omnia, est tamen quoad hoc, quòd scilicet sicut tempus nequit esse simul propter successione, sic partes magnitudinis nequeunt esse simul propter infinitatem.

Urgetur: Possunt aliquæ partes magnitudinis esse simul, & nullæ partes temporis sic simul esse queunt; ergò adhuc magna est disparitas. R. dist. consequens, est disparitas inter tempus

VII.

Argumentum in contrarium.

tempus & inter magnitudinem respectu infiniti, nego, respectu finiti, concedo, de priori autem nunc & defacto controversatur, non verò de posteriori.

VIII.
In non viventibus non datur terminus magnitudinis.

DICO 2. In rebus non viventibus potest dari infinitum syncategorematicum, seu quod idem est, in non viventibus non datur terminus magnitudinis. Ita Doctor 2. d. 2. q. 9. n. 31. quem Recentiores communiter sequuntur contra Thomistas.

Probatur, quia corpora aliqua, quò majora sunt eò majorem habent in se virtutem agendi, ut patet in igne; ergò assignata quacunque magnitudine finita ipsius poterit comburere stuppam, si ei applicetur & eam in se convertere, & sese augere, ergò. Confirmatur, quia ignis parvus potest se augere, si ei applicetur debita materia; ergò etiam ignis magnus, quia virtus per magnitudinem non minuitur, sed potius perficitur, dummodò non sit aliquod impedimentum, & tale licet non fuerit, hoc non erit ab intrinseco ex natura ipsiusmet ignis, sed ab extrinseco.

IX. Dices: Omnis forma est determinata ad certam perfectionem; ergò etiam ad certam & determinatam magnitudinem. Confirmabis, quia ex eo, quòd sit determinata ad certam perfectionem, petit quantitates conservativas in certo termino; ergò non poterit exrescere in quamcunque magnitudinem. R. dist. ant. quòd ad speciem, concedo: quòd ad extensionem, nego ant. & consequentiam: similiter distinguo. Confirmat. ant. petit quantitatem conservati-

vam in intensione determinata, concedo, in extensione, nego. Imò posset etiam alio modo ad utrumque responderi, scilicet manere quidem certam magnitudinem tam secundum intensiorem, quam extensionem, si eadem mancant partes subiecti, non verò, si illa mutantur.

DICO 3. In viventibus nequit dari infinitum syncategorematicum. Hæc est communis Scotist. & Thomist. cum Philosopho 4. de generat. Animalium cap. 5. in quo sensu etiam explicandus est, si in contrarium proprii conclusioni citaretur.

Probatur: Quia anima est actus corporis organici, cujus membris utitur, tanquam instrumentis ad varias operationes exercendas, ut oculis ad videndum, auribus ad audiendum, &c. ergò non poterit corpus in quacunque magnitudine informare, quia aliàs evaderent improporionata, ut patet de artificialibus instrumentis. Deinde videmus, quòd quando homines veniunt ad perfectam & debitam magnitudinem, non amplius crescunt cujus alia ratio esse non potest, nisi quia habent terminum magnitudinis. Denique non videtur verisimile, quòd pulex possit esse tam magnus, sicut est turris Niffentis. Sed

Dices: Si homo esset in termino magnitudinis, adhuc posset per infirmitatem tumesceri, ergò. R. quòd sermo sit in conclusione de termino conaturali, non verò de violento, aut etiam miraculoso.

✠✠✠

